habitur: et qui se humiliat exaltabitur. Afferebant autem ad illum et infantes: ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli: increpabant illos. Ihesus autem convocans illos dixit. Sinite pueros venire ad me: et nolite eos vetare. Talium est enim regnum dei. Amen dico vobis quicumque non acceperit regnum dei sicut puer: non intrabit in illud. Et interrogavit eum quidam princeps dicens. Magister bone: quid faciens vitam eternam possidebo? Dixit autem ei ihesus. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus deus. Mandata nosti: Non occides: non mechaberis: non furtum facies: non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum et matrem. Qui ait. Hec omnia custodivi a iuventute mea. Quo audito ihesus ait illi. Adhuc unum tibi deest. Omnia quecumque habes vende et da pauperibus: et habebis thesaurum in celo: et veni sequere me. His ille auditis contristatus est: quia dives erat valde. Videns autem ihesus tristem illum factum: dixit. Quam difficile qui pecunias habent: in regnum dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acus transire: quam divitem intrare in regnum dei. Et dixerunt qui audiebant. Et quis potest salvus fieri? Ait illis. Que impossibilia sunt apud homines: possibilia sunt apud deum. Ait autem petrus. Ecce nos dimisimus omnia: et secuti sumus te. Qui dixit eis. Amen dico vobis: nemo est qui reliquit domum aut parentes. aut fratres. aut uxorem. aut filios propter regnum dei: et non recipiat multo plura in hoc tempore: et in seculo venturo vitam eternam.

Assumpsit autem ihesus duodecim: et ait illis. Ecce ascendimus ierusalem: et consummabuntur omnia que scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus et illudetur: et flagellabitur et conspuetur. Et postquam flagellaverint occident eum: et die tercia resurget. Et ipsi nichil horum intellexerunt. Et erat verbum istud absconditum ab eis: et non intelligebant que dicebantur. Factum est autem cum appropinquaret iericho: cecus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam pretereuntem: interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod ihesus nazarenus transiret. Et clamavit dicens. Ihesu fili david miserere mei. Et qui preibant: increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat. Fili david: miserere mei. Stans autem ihesus: iussit eum adduci ad se. Et cum appropinquasset: interrogavit illum dicens. Quid tibi vis faciam? At ille dixit. Domine ut videam. Et ihesus dixit illi. Respice. Fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit: et sequebatur illum magnificans deum. Et omnis plebs ut vidit: dedit laudem deo.

In dedicatione

Et ingressus: perambulabat iericho. Et ecce vir nomine zacheus: et hic erat princeps publicanorum: et ipse dives. Et querebat videre ihesum quis esset: et non poterat pre turba. quia statura pusillus erat. Et precurrens ascendit in arborem sicomorum ut videret illum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum suspiciens ihesus vidit illum: et dixit ad eum. Zachee festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes murmurabant dicentes: quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem zacheus: dixit ad dominum. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus domine: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait ihesus ad eum. Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod et ipse filius sit abrahe. Venit enim filius hominis querere et salvum facere: quod perierat. Hec illis audientibus adiciens dixit parabolam eo quod esset prope ierusalem: et quia existimarent quod confestim regnum dei manifestaretur. Dixit ergo. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam: accipere sibi regnum et reverti. Vocatis autem decem servis suis. dedit illis decem mnas: et ait ad illos. Negociamini dum venio. Cives autem eius oderant illum: et miserunt post illum legationem dicentes. Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut rediret accepto regno: et iussit vocari servos quibus dedit pecuniam. ut sciret quantum quisque negociatus esset. Venit autem primus dicens. Domine mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi. Euge bone serve quia in modico fidelis fuisti: eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit dicens. Domine mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait. Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit dicens. Domine ecce mna tua quam habui repositam in sudario. Timui enim te quia homo austerus es. tollis quod non posuisti. et metis quod non seminasti. Dicit ei. De ore tuo te iudico serve

Vthsoirningz … Abo Slott … 1576

nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum: tollens quod non posui et metens quod non seminavi. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? et ego veniens cum usuris utique exegissem illam. Et astantibus dixit. Auferte ab illo mnam et date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei. Domine habet decem mnas. Dico autem vobis quia omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet et quod habet auferetur ab eo. Verumptamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se adducite huc: et interficite ante me. Et his dictis precedebat ascendens Ierosolimam. Et factum est cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam ad montem qui vocatur Oliveti: misit duos discipulos suos dicens. Ite in castellum quod contra vos est. In quod introeuntes invenietis pullum asine alligatum: cui nemo umquam hominum sedit. Solvite illum et adducite. Et si quis vos interrogaverit quare solvitis: sic dicetis ei. quia dominus operam eius desiderat. Abierunt autem qui missi erant: et invenerunt sicut dixit illis. stantem pullum. Solventibus autem illis pullum: dixerunt domini eius ad illos. Quid solvitis pullum? At illi dixerunt. Quia dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Ihesum: et iactantes vestimenta sua supra pullum inposuerunt Ihesum. Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti: ceperunt omnes turbe descendentium gaudentes laudare deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus: dicentes. Benedictus qui venit rex in nomine domini. Pax in celo: et gloria in excelsis. Et quidam phariseorum de turbis: dixerunt ad illum. Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait. Dico vobis quia si hii tacuerint: lapides clamabunt. Et ut appropinquavit: videns civitatem. flevit super illam dicens. Quia si cognovisses et tu. Et quidem in hac die tua que ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te et circumdabunt te et coangustabunt te undique. et ad terram prosternent te: et filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tue. Et ingressus in templum cepit eicere vendentes et ementes in illo. dicens illis. Scriptum est quia domus mea domus orationis est. Vos

autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens cotidie in templo. Principes autem sacerdotum et scribe. et principes plebis querebant illum perdere. et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

Et factum est in una dierum docente illo populum in templo et evangelizante. convenerunt principes sacerdotum et scribe cum senioribus. et aiunt dicentes ad illum. Dic nobis in qua potestate hec facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem dixit ad illos. Interrogabo vos et ego unum verbum: respondete mihi. Baptismus Iohannis de celo erat an ex hominibus? At illi cogitabant intra se dicentes. Quia si dixerimus de celo. dicet. Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus: plebs universa lapidabit nos. Certi sunt enim Iohannem prophetam esse. Et responderunt se nescire unde esset. Et Ihesus ait illis. Neque ego dico vobis in qua potestate hec facio.

Cepit autem dicere ad plebem parabolam hanc. Homo plantavit vineam. et locavit eam colonis: et ipse peregre fuit multis temporibus. Et in tempore misit ad cultores servum: ut de fructu vinee darent illi. Qui cesum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem et hunc cedentes et afficientes contumelia dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere. qui et illum vulnerantes eiecerunt. Dixit autem dominus vinee. Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint verebuntur. Quem cum vidissent coloni: cogitaverunt intra se dicentes. Hic est heres. Occidamus illum: ut nostra fiat hereditas. Et eiectum illum extra vineam: occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vinee? Veniet et perdet colonos istos: et dabit vineam aliis. Quo audito: dixerunt illi. Absit. Ille autem aspiciens eos ait. Quid est ergo hoc quod scriptum est. Lapidem quem reprobaverunt edificantes: hic factus est in caput anguli. Omnis qui ceciderit super illum conquassabitur. Supra quem autem ceciderit: comminuet illum. Et querebant principes sacerdotum et scribe mittere in illum manus in illa hora. et timuerunt populum. Cognoverunt enim quod ad ipsos diceret similitudinem istam. Et observantes miserunt insidiatores qui se iustos simularent ut caperent eum in sermone. et traderent illum principatui et potestati

[illegible]que revelabitur in nobis. Nam expecta-
tio creature; revelationem filiorum dei expectat.
Vanitati enim creatura est subiecta non vo-
lens; sed propter eum qui subiecit eam in spe.
quia et ipsa creatura liberabitur a servitute
corruptionis. in gloriae libertatem filiorum dei. Sci-
mus enim quod omnis creatura ingemiscit. et
parturit usque adhuc. Non solum autem illa;
sed et nos ipsi primicias spiritus habentes. et ipsi intra
nos gemimus. adoptionem filiorum dei expectan-
tes. redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi
facti sumus. Spes autem que videtur non est spes.
Nam quod videt quis. quid sperat? Si autem
quod non videmus speramus. per pacientiam expec-
tamus. Similiter autem et spiritus adiuvat infirmi-
tatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet.
nescimus; sed ipse spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus
inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda.
scit quid desideret spiritus. quia secundum deum postu-
lat pro sanctis.
III. Scimus autem quoniam diligentibus deum omnia
cooperantur in bonum. his qui secundum pro-
positum vocati sunt sancti. Nam quos prescivit et pre-
destinavit conformes fieri ymaginis filii sui.
ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos
autem predestinavit; hos et vocavit. Et quos vo-
cavit; illos et iustificavit.+ Quid ergo dicemus
ad hec? Si deus pro nobis. quis contra nos? Qui
etiam filio proprio suo non pepercit; sed pro nobis
omnibus tradidit illum. Quomodo etiam non cum
illo omnia nobis donavit? Quis accusabit ad-
versus electos dei? Deus qui iustificat; quis
est qui condempnet? Christus ihesus qui [illegible] mortuus
est. immo qui et resurrexit. qui est ad dexteram
dei. qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo sepa-
rabit nos a caritate christi? Tribulatio. an an-
gustia. an persecutio. an fames. an nuditas. an
periculum. an gladius? Sicut scriptum est. Quia
propter te mortificamur tota die. estimati su-
mus ut oves occisionis. Sed in his omnibus
superamus. propter eum qui dilexit nos. Certus
sum enim. quia neque mors. neque vita. neque angeli.
neque principatus. neque potestates. neque virtutes.
neque instancia. neque futura. neque fortitudo. neque
altitudo. neque profundum. neque creatura alia po-
terit nos separare a caritate dei. que est in christo
ihesu domino nostro.

+ Quos autem iustificavit; illos et magnificavit.

Veritatem dico in christo non mentior testi-
monium michi perhibente conscientia me-
a in spiritu sancto. quoniam tristicia michi est magna et con-
tinuus dolor cordi meo. Optabam enim ego
ipse anathema esse a christo pro fratribus meis qui
sunt cognati mei secundum carnem. qui sunt israe-
lite; quorum adoptio est filiorum et gloria et testamen-
tum. et legis latio. et obsequium et promissa;
quorum patres et ex quibus christus secundum carnem.
qui est super omnia deus benedictus in secula amen.
Non autem quod exciderit verbum dei. Non
enim omnes qui ex israel hii sunt israelite; neque
omnes qui semen sunt abrahe omnes filii;
sed in ysaac vocabitur tibi semen. id est non qui
filii carnis. hii filii dei; sed qui filii sunt pro-
missionis estimantur in semine. Promissionis
enim verbum hoc est. Secundum hoc tempus veniam.
et erit sare filius. Non solum autem illa; sed et
rebecca ex uno concubitu habens ysaac patris
nostri. Cum enim non dum nati fuissent. aut ali-
quid egissent boni aut mali. ut secundum electionem
propositum dei maneret; non ex operibus sed ex vocan-
te dictum est ei. quia maior serviet minori.
sicut scriptum est. Iacob dilexi. esau autem odio
habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas
apud deum? Absit. Moysi enim dicit. Miserebor
cuius misereor. et misericordiam prestabo cuius
miserebor. Igitur non volentis neque currentis;
sed miserentis est dei. Dicit enim scriptura pha-
raoni. Quia in hoc ipsum excitavi te. ut ostendam
in te virtutem meam. et annuncietur nomen meum
in universa terra. Ergo cuius vult miseretur.
et quem vult indurat. Dicis itaque michi. Quid ad-
huc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?
O homo tu quis es. qui respondeas deo? Num-
quid dicit figmentum ei qui se finxit; quid
me fecisti sic? An non habet potestatem figu-
lus luti ex eadem massa facere aliud quidem
vas in honorem; aliud vero in contumeliam.
Quod si volens deus ostendere iram suam. et no-
tam facere potentiam suam. sustinuit in mul-
ta pacientia vasa ire. apta in interitum. ut
ostenderet divitias glorie sue in vasa misericordie.
que preparavit in gloriam. quos et vocavit nos.
non solum ex iudeis. sed etiam ex gentibus.
sicut in osee dicit. Vocabo non plebem meam.
plebem meam.+ et [illegible] non [illegible] misericordiam conse-

c. IIII.

+ et non dilectam meam dilectam.

[illegible]
loco ubi dictum est eis, non plebs mea vos:
ibi vocabuntur filii dei vivi. Ysaias autem
clamat pro israel. Si fuerit numerus filiorum
israel tamquam arena maris: reliquie salve
fient. Verbum enim consummans et abbrevi
ans in equitate: quia verbum breviatum faciet
dominus super terram. Et sicut predixit Ysaias: nisi
dominus sabaoth reliquisset nobis semen: quasi sodo
ma fuissemus: et sicut gomorra similes essemus.
Quid ergo dicemus? Quod gentes que non secta
bantur iustitiam: apprehenderunt iustitiam.
Iustitiam autem que ex fide est. Israel vero sec
tando legem iustitie: in legem iustitie non perve
nit. Quare? Quia non ex fide: sed quasi ex
operibus. Offenderunt enim in lapidem offen
sionis: sicut scriptum est. Ecce pono in syon la
pidem offensionis et petram scandali: et omnis
qui credit in eum non confundetur. Fratres: vo
luntas quidem cordis mei et obsecratio ad deum
fit pro illis in salutem. Testimonium enim
perhibeo illis, quod emulationem dei habent: sed non
secundum scientiam. Ignorantes enim dei iustiti
am, et suam querentes statuere: iustitie dei
non sunt subiecti. Finis enim legis christus est: ad
iustitiam omni credenti. Moyses enim scrip
sit quia iustitiam que ex lege est qui fecerit
homo vivet in ea. Que autem ex fide est iusti
[illegible]
det in celum? Id est christum deducere. Aut quis
descendet in abyssum? Hoc est christum ex mortuis
revocare. Sed quid dicit scriptura? Prope est
verbum in ore tuo et in corde tuo. Hoc est ver
bum fidei quod predicamus. Quia si confite
aris in ore tuo dominum ihesum, et credideris in corde
tuo quod deus illum excitavit a mortuis: sal
vus eris. Corde enim creditur ad iustitiam: ore
autem confessio fit ad salutem. Dicit enim
scriptura. Omnis qui credit in illum non con
fundetur. Non enim est distinctio iudei et greci.
Nam idem dominus omnium: dives in omnes qui
invocant illum. Omnis enim quicumque invo
caverit nomen domini: salvus erit. Quomodo
ergo invocabunt in quem non crediderunt?
Aut quomodo credent ei quem non audierunt?
Quomodo autem audient sine predicante? Quo
modo vero predicabunt nisi mittantur?

sicut scriptum est. Quam speciosi pedes evan
gelizantium pacem: evangelizantium bona.
Sed non omnes obediunt evangelio. Ysaias autem
dicit. Domine quis credidit auditui nostro? Ergo
fides ex auditu: auditus autem per verbum
christi. Sed dico. Numquid non audierunt? Et
quidem in omnem terram exivit sonus eorum:
et in fines orbis terre verba eorum. Sed dico.
Numquid israel non cognovit? Primus moyses
dicit. Ego ad emulationem vos adducam in
non gentem, in gentem insipientem: in iram
vos mittam. Ysaias autem audet et dicit. In
ventus sum non querentibus me: palam appa
rui his qui me non interrogabant. Ad israel autem
dicit. Tota die expandi manus meas ad populum
non credentem: et contradicentem michi.

xi Dico ergo. Numquid repulit deus populum suum?
Absit. Nam et ego israhelita sum ex semi
ne abraham, de tribu beniamin. Non repulit
deus plebem suam quam prescivit. An nescitis in
helia quid dicit scriptura? quemadmodum inter
pellat deum adversum israel. Domine, prophetas tuos
occiderunt, altaria tua suffoderunt: et ego re
lictus sum solus, et querunt animam meam. Sed
quid dicit illi responsum divinum? Reliqui
michi septem milia virorum: qui non curvaverunt
genua ante baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquie
secundum electionem gratie salve facte sunt. Si autem
gratia, non ex operibus: alioquin gratia iam non
est gratia. Quid ergo? Quod querebat israel: hoc non
est consecutus. Electio autem consecuta est. Ce
teri vero excecati sunt: sicut scriptum est. Dedit
illis deus spiritum compunctionis: oculos ut non
videant, et aures ut non audiant, usque in hodi
ernum diem. Et david dicit. Fiat mensa eorum
coram ipsis in laqueum: et in captionem et in
scandalum, et in retributionem illis. Obscuren
tur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum sem
per incurva.

Dico ergo. Numquid sic offenderunt ut ca
derent? Absit. Sed illorum delicto sa
lus gentibus: ut illos emulentur. Quod si delictum
illorum divitie sunt mundi, et diminutio eorum
divitie gentium: quanto magis plenitudo eorum?
Vobis enim dico gentibus. Quamdiu quidem ego
sum gentium apostolus: ministerium meum hono
rificabo: si quomodo ad emulandum provocem

xpc non sibi placuit: sed sicut scriptum est. In
properia improperantium tibi. ceciderunt super me.
Quecumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam
scripta sunt: ut per patientiam et consolationem
scripturarum spem habeamus. Deus autem pa
tientie et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum
trum secundum ihesum xpm: ut unanimes uno ore
honorificetis deum et patrem domini nostri ihesu xpi. Prop
ter quod suscipite invicem: sicut et xpc suscep
vos in honorem dei. Dico enim xpm ihesum minis
trum fuisse circumcisionis propter veritatem
dei: ad confirmandas promissiones patrum. Gen
tes autem super misericordia honorare deum: sicut scrip
tum est. Propter hoc confitebor tibi in gentibus
domine: et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit.
Letamini gentes. cum plebe eius. Et iterum.
Laudate omnes gentes dominum: et magnificate
eum omnes populi. Et rursum ysaias ait.
Erit radix iesse. et qui exsurget regere gentes
in eo gentes sperabunt. Deus autem spei reple
at vos omni gaudio. et pace in credendo: ut ha
bundetis in spe et virtute spiritus sancti.
Certus sum autem fratres mei et ego ipse de
vobis. quoniam et ipsi pleni estis dilectione
repleti omni scientia: ita ut possitis alterutrum
trum monere. Audacius autem scripsi vobis
fratres ex parte: tamquam in memoriam vos re
ducens: propter gratiam que data est michi a deo
ut sim minister ihesu xpi in gentibus: sanctificans
euangelium dei: ut fiat oblatio gentium accepta.
et sanctificata in spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in xpo ihesu
ad deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum
que per me non efficit xpc in obedientiam genti
um. verbo et factis. in virtute signorum et pro
digiorum: in virtute spiritus sancti. ita ut ab ierusalem per
circuitum usque ad illiricum repleverim euan
gelium xpi. Sic autem hoc predicavi euangelium non
ubi nominatus est xpc. ne super alienum funda
mentum edificarem: sed sicut scriptum est.
Quibus non est annuntiatum de eo videbunt.
et qui non audierunt intelligent. Propter quod
et impediebar plurimum venire ad vos: et pro
hibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius
locum non habens in his regionibus: cupiditatem
autem habens veniendi ad vos. ex multis iam
precedentibus annis: cum in hispaniam proficisci
cepero. spero quod preteriens videam vos.
et a vobis deducar illuc: si vobis primum ex par
te fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar ierusalem
ministrare sanctis. Probaverunt enim macedonia.
et achaia. collationem aliquam facere in pau
peres sanctorum: qui sunt ierusalem. Placuit
enim eis: et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium
eorum participes facti sunt gentes: debent et in
carnalibus ministrare eis. Hoc igitur cum consum
mavero. et assignavero eis fructum hunc: pro
ficiscar per vos in hispaniam. Scio autem quoniam ad vos
veniens: in habundantia benedictionis xpi
veniam.
Obsecro igitur vos fratres per dominum nostrum ihesum xpm. c. III.
et per caritatem spiritus sancti: ut sollicitudinem
impertiamini michi in orationibus pro me ad deum.
ut liberer ab infidelibus qui sunt in iudea: et
obsequii mei oblatio accepta fiat in ierosolima
sanctis: ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem
dei. et refrigerer vobiscum. Deus autem pacis
xvi sit cum omnibus vobis amen. Commendo
autem vobis phebem sororem nostram. que est
in ministerio ecclesie que est cenchris: ut eam
suscipiatis in domino digne sanctis. et assistatis ei in
quocumque negotio vestri indiguerit. Etenim
ipsa quoque astitit multis: et michi ipsi. Saluta
te priscam. et aquilam. adiutores meos in xpo
ihesu: qui pro anima mea suas cervices suppo
suerunt: quibus non solus ego gratias ago. sed
et cuncte ecclesie gentium: et domesticam eorum
ecclesiam. Salutate ephenetum dilectum michi:
qui est primitivus asie in xpo ihesu. Salutate
mariam: que multum laboravit in vobis. Sa
lutate andronicum. et iuliam. cognatos et con
captivos meos. qui sunt nobiles in apostolis: qui
et ante me fuerunt in xpo. Salutate ampliatum
dilectissimum michi in domino. Salutate urbanum
adiutorem nostrum in xpo: et stachin dilectum meum.
Salutate apellen probum in xpo. Salutate
eos qui sunt ex aristoboli domo. Salutate he
rodionem cognatum meum. Salutate eos qui
sunt ex narcissi domo: qui sunt in domino. Salutate
triphenam. et triphosam: que laborant in domino.
Salutate persidam karissimam: que multum
laboravit in domino. Salutate rufum electum
in domino: et matrem eius et meam. Salutate asin
critum. flegontam. hermen. patrobam. hermam:
et qui cum eis sunt fratres. Salutate filologum.

et iuliam. nereum. et sororem eius et olimpia-
dem. et omnes qui cum eis sunt sanctos. Sa-
lutate invicem in osculo sancto. Salutant vos
omnes ecclesie christi. Rogo autem vos fratres. ut
observetis eos qui dissensiones et offendi-
cula preter doctrinam quam vos didicistis faci-
unt. et declinate ab illis. Huiusmodi enim
christo domino nostro non serviunt. sed suo ventri.
et per dulces sermones et benedictiones sedu-
cunt corda innocentium. Vestra enim obedien-
tia in omnem locum divulgata est. Gaudeo
igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono.
et simplices in malo. Deus autem pacis con-
teret sathanan sub pedibus vestris velociter.
Gratia domini nostri ihesu christi vobiscum.
Salutat vos timotheus adiutor meus. et lucius
et iason. et sosipater cognati mei. Saluto
vos ego tertius qui scripsi epistolam in domino.
Salutat vos gaius hospes meus et universa
ecclesia. Salutat vos erastus [illegible]
[illegible]

[illegible]
turas prophetarum. secundum preceptum eter-
ni dei. ad obeditionem fidei in cunctis genti-
bus cognito. soli sapienti deo per ihesum christum.
cui honor et gloria in secula seculorum amen.

Explicit epistola ad romanos.

Incipiunt capitula in epistola .i. ad corinthios.

Obsecro itaque vos fratres. i.
Et ego cum venissem ad vos fratres. ii.
Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus. iii.
Nescitis quia templum dei estis. iiii.
Hec autem fratres transfiguravi in me. v.
Tamquam non venturus sim ad vos. vi.
Scripsi vobis in epistola. vii.
Omnia mihi licent. sed non omnia expediunt. viii.
De quibus autem scripsistis mihi. ix.
De virginibus autem preceptum domini non habeo. x.
De his autem que idolis sacrificantur. xi.
Nescitis quoniam qui in sacrario operantur. xii.
Nolo enim vos ignorare fratres. xiii.
Propter quod karissimi mihi. xiiii.
Laudo autem vos fratres. xv.
Primum quidem convenientibus. xvi.
De spiritualibus autem. xvii.
Emulamini autem carismata meliora. xviii.
Cum essem parvulus. xix.
Fratres nolite pueri effici sensibus. xx.
Notum vobis autem facio fratres. xxi.
Corrumpunt mores bonos. xxii.
Primus homo de terra terrenus. xxiii.
De collectis autem que fiunt in sanctos. xxiiii.
Obsecro autem vos fratres. xxv.

Expliciunt capitula. Incipit ar-
gumentum in epistola prima ad corinthios.

CORINTHII sunt achaici.
Et hii similiter ab apostolo audi-
erunt verbum veritatis et
subversi sunt multifarie
falsis apostolis. Quidam a philoso[illegible]
[illegible]

Explicit argumentum.
Incipit textus epistole prime ad corinthios.

PAULUS vocatus
apostolus christi ihesu per volun-
tatem dei. et sosthenes
frater. ecclesie dei que est
corinthi. sanctificatis
in christo ihesu vocatis sanctis.
cum omnibus qui invocant nomen domini nostri
ihesu christi in omni loco ipsorum et nostro. gratia vobis
et pax a deo patre nostro et domino ihesu christo. Gratias
ago deo meo semper pro vobis in gratia dei que
data est vobis in christo ihesu. quia in omnibus
divites facti estis in illo in omni verbo et
in omni scientia. sicut testimonium christi
confirmatum est in vobis. ita ut nichil
vobis desit in ulla gratia. expectantibus reve-
lationem domini nostri ihesu christi. qui et confir-
mabit vos usque ad finem sine crimine.